



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Sect. II. Argumenta contendentia generales circumstantias, non rēfundere
malitiam in actus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

conciat ejusmodi peccatum cum sola ratione furti (quod etiam non est cur in re ipsa aliquando non contingat, casu quo quis invincibiliter ignoraret Deum) manifestum videtur peccatum illud futurum levius, sed non erit levius in ratione furti, ergo quod aliqua alia gravitas, seu malitia alterius speciei illi desit, sed hæc malitia provenit ex advertentiâ circumstantiarum supra positarum, ergo.

VI. Et specialiter contra rationem violare divinam amicitiam.

Nullum vitium magis execrantur homines; quam ingratitude.

VII. Generales circumstantia, nisi peculiariter intenduntur, non sunt necessario in confessione aperienda.

Quid in peculiari casu faciendum.

Et sanè, lumine naturæ notum videtur esse specialiter contra rationem violare amicitiam divinam, cum contra rationem sit violare humanam: nullum etiam vitium est, quod magis execrentur homines, quam vitium ingratitude. Quod verò hæc circumstantia in omnibus peccatis reperiantur, non arguit eas non refundere in peccata illa malitiam, sed illam refundere in omnia, & in hoc etiam extensivè excedere circumstantiam catholicæ sacri. Quare in sacris Litteris sæpè repetuntur non sine exaggeratione hæc circumstantia ingratitude, injurie, inobedientie, cum in nihil acrius in Scripturis per Prophetas Deus invehatur.

Hic tamen addo, has circumstantias, cum generales sint, non esse necessariò in confessione aperendas: si tamen ex iis aliqua esset directè intenta, ut si quis furari vellet ex odio Dei, seu quia Deo displicet furtum, deberet hoc peculiariter explicari, quod non est singulare in his circumstantiis, sed in omni peccato contra quamcumque virtutem; ut si quis fornicari vellet ex odio castitatis, idque in templo ex odio religionis, jam enim nova species oritur specialis contemptus contra illam virtutem, in cujus materia peccat. Nihilominus si quis esset planè certus, se non habuisse advertentiam ad contrahendum has species (quod tamen rarissimè contingit) teneretur hoc in confessione explicare, nisi conformare se velit contrariæ sententiæ.

SECTIO SECUNDA

Argumenta contententia generales circumstantias non refundere malitiam in actus.

I. Quid s. Thomas requirit, ut opus aliquod speciale contrahat rationem ingratitude aut inobedientie.

Duo malitia genera sunt in actibus consideranda.

OBICIENS primò Sanctum Thomam identidem dicentem, ut opus aliquod speciale rationem inobedientie aut ingratitude contrahat, necessarium esse, ut fiat quia prohibitum est, vel ut benefactori se ingratum ostendat, ergo generales hæc circumstantia, nisi peculiariter intenduntur, non refundunt speciale malitiam in actus. Sed de mente S. Thomæ satis constat secl. præcedente, numero primò: Dico itaque non ita intelligendum esse Sanctum Doctorem, quasi velit actum quem quis advertens prohibitionem, seu præceptum in contrarium, exercet, non contrahere deformitatem illam & malitiam, quæ constituit peccatum inobedientie, sed tantum vult hujuscemodi actum non contrahere specialissimam illam malitiam inobedientie, aut ingratitude, quæ in peccatis tantum ex malitiâ factis reperitur, nec nisi in perverissimo quoque contingit, dum scilicet quis in contemptum Dei præcipientis, aut prohibentis, opus aliquod facit aut omittit; hoc tamen ad omnem actum inobedientie non est necessarium.

R.P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. I.

Quod ut melius intelligatur; & tota hæc doctrina de generalibus circumstantiis plenius declararetur, ponamus Deum vel superiorem alicui præcipere, ut tali tempore studeat, aut in hortu laboret; hic nihilominus accedente illo tempore, & attendens ad præceptum, studium & laborem illum omittit, quis hunc negabit peccare, idque peccato inobedientie, cum Dei aut superioris mandatum scienter violet: & idem est de præcepto negativo, si nimirum Deus prohibeat ne Petrus tali tempore studeat aut laboret, ergo idem est licet actus aliquis aliam simul habeat malitiam, si nimirum Deo furtum aut homicidium prohibente, nihilominus quis furetur, aut hominem occidat; quòd enim actus aliam malitiam habeat adjunctam non sequitur eum non habere hanc, cum per illum non minus scienter Dei præceptum violetur, quam in priore casu.

Objicies secundò: ergo qui plura accepit à Deo beneficia, debet hoc in confessione aperire, & alia hujusmodi, sicque infinitis patet scrupulis hæc opinio. Confirmatur primò, sequitur etenim quodvis peccatum sacerdotis fore novum peccatum ratione dignitatis personæ. Confirmatur secundò, jam siquidem non posset committi unum tantum peccatum, sed necessariò est multiplex.

Ad argumentum negatur sequela; solum enim est substantia aggravans intra eandem speciem: ejusmodi autem circumstantia, ut ostendi in materia de poenitentia, non sunt necessariò explicanda; cum Concilium Tridentinum aliarum circumstantiarum explicationem in confessione non requirat, quam earum quæ mutant speciem: & idem docet S. Thomas in 4. d. 16. q. 3. art. 2. quæst. 5.

Ad primam Confirmationem dico solam personæ dignitatem præcisè (secluso scandalo & peccatis, quæ ex voto quis vitare tenetur) ad summum augere aliquas circumstantias ex prædictis, præsertim ingratitude. Secunda Confirmatio si tota concedatur nil sequitur incommodi.

Objicies tertio: si peccatum mortale quodcumque habeat novam specialem malitiam, ex eo quòd afferat mortem spiritualem ipsi peccatori, unde haurit malitiam homicidii spiritualis, ergo qui culpabiliter dat causam ruinæ spiritualis proximi peccando mortaliter, contrahet speciale peccatum scandali, quamvis ruinam illam non intendat. Respondetur ita esse; violat enim materiam misericordie spiritualis quæ in avocando proximum à peccatis sita est.

SECTIO TERTIA.

Aliud argumentum probans circumstantias hæc non refundere malitiam in actus.

OBICIENS quartò: peccata illa, quæ committuntur interius non contrahunt malitiam, nisi ferantur in objectum suum sub directâ intentione illius mali; sed peccata inobedientie & reliqua supra posita sunt hujusmodi; ergo non sufficit ad contrahendam malitiam specialem inobedientie, seu contra charitatem Dei &c. nisi quis expressè actus illos velit quia contra præceptum, quia Deo sunt ingrati, & sic de cæteris; ergo generales circumstantia præcisè non refundunt malitiam nec gravitatem in actus peccaminosos. Unde licet in actu facti exempli gratiâ &

II. Offenditur ad peccatum inobedientia non requiri, ut quis rem aliquam faciat quia est prohibita.

Vna malitia in actu reprobata non impedit aliam.

III. Obj. sequitur eum qui plura accepit à Deo beneficia, debere hoc in confessione aperire.

Cur qui plura accepit beneficia, non tenetur hoc confiteri.

Sola dignitas personæ peccatis tantum auget aliquas ex circumstantiis.

IV. Qui est causa ruinae spiritualis proximi contrahit speciale peccatum scandali.

I. Obj. Peccata, quæ committuntur interius, non contrahunt malitiam, nisi specialem malum illud intendatur.